



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

Cap. IX. Discessus ex Angliâ, & appulsus ad Vlissiponem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

hamus, tantò ille sinisteriùs opinabatur; imperabatq; ne laxiùs milliari ab urbe, in quà eramus, vagaremur.

C A P V T I X.

Discessus ex Anglià, & appulsus ad
Ulisiponem.

IN hisce rerum angustijs, libertatisq; nostrae
ambiguitate, cum DEO deliberauimus quid
potissimum nobis esset ex illius glorià statuen-
dum; ac consentientibus sententijs censuimus,
preferendam esse primam Missionem, ac primo
quoque tempore Ulisiponem repetendam; cum
neque gentis Anglicana linguam teneremus, ne-
que spes affulgeret martyrij pro Christo obeundi,
utpote exteris, qui & facile deprehendi possi-
mus, neque nostrà voluntate eò venissemus.
Quod consilium si nos falleret, per Franciam
terrestri itinere Ulisiponem contenderemus,
postpositis occasionibus omnibus reuisenda Ita-
liae, quam adire, non esse è re nostrà ducebamus.
Quia verò per loca haereticis infesta, & hiber-
no tempore pedibus erat proficiscendum, vestes
longiores, quàm potuimus arte nostrà, in Anglo-
rum Gallorumve morem resetas commutauimus,
sic aduersus frigora tecti; calceis insuper,
tibialibus, femoralibus, & Anglicano pileo à
Praefecto donati fuimus. At mox Praefectus,
veri-

veritus ne eo vestitus genere occulti per Angliam fortè vagaremur, domi nos sua per dies aliquot tenuit inclusos; exploratòque semel per noctem, an litteras aliquas Catholicorum, magicàsve res haberemus, quo nomine præcipuè Sacerdotes nostros habent suspectos; cum nihil huiusmodi rerum deprehendisset, liberos nos denique manu misit. Nonis Decembribus unam omnes nauim imperio Præfecti conscendimus. Sequenti die ventus è prospero in aduersum, cum immoderatâ tempestate, versus est. Angli contra nixi, postquam insulam quinisdenis distantem leucis diu conati sunt attingere, reiecti tamen fuère, utcumque iam vicini; ac nos interea, qui eorum beneficio singularem habebamus locum, perpetuis aquis madefacti, cum fluctus quilibet nauem aperiret, frigore propè enecti, ingentiq; nausæa vexati, mortem in momenta expectabamus. Affirmare reuerà possum, plus molestiarum nos illius bidui spatio, quàm præteritâ multorum mensium nauigatione, percepisse. Sed eò liquidiores fuère caelestes, quibus patientia nostra recreabatur, voluptates: atque ego sanè valetudine meliore, quàm per longum antea tempus, usus sum. Nauta denique tempestate fessi, cum non remitteret, vento se dedere, intenti in primum quem tenerent portum; sicq; in Angliam relati, portum alium non ignobilem naeti sumus. Hic sensimus utile nobis

fuisse mutati vestitus consilium, ad abitum de-
 nuo tentandum: nam si cogniti fuissetus, hand
 facilis nobis patuisset exitus, ob nouas Regine
 leges, quibus clausi fines omnes tenebantur. Ma-
 gno ad euadendum auxilio fuere, duo quos in
 vrbe offendimus Itali, Genuensis alter, qui Lon-
 dino discesserat negotiorum causâ, alter Ragu-
 seus; ambo nauium Præfecti: his enim cum me
 aperuisssem, re prius cum DEO & comite pertra-
 ctatâ, stipe ab ijs, etsi tenui, adiutus, plus ali-
 quantò ad festinandam navigationem beneficij
 accepi: nam suis nos nauigijs, nisi recusasssem,
 Liburnum etiam reuexissent. Id quod à me recu-
 satum est; quia verebar scilicet, Paternitatem
 vestram profectiõni nostræ adeò expetite fuisse
 intercessuram. Hanc ob rem, Vlisiponem festi-
 nabamus, vt in Indiam soluere huius anni
 tempestate liceret. Et iam hominem nacti era-
 mus, qui in S. Ioannis de Luthz, propinquum
 Cantabria oppidum, nos deportaret, cum melior
 diuinitus oblata occasio mercatoris Germani, cu-
 ius studium erat, captiuos Anglos Lusitanis, in-
 uicemq; Lusitanos Anglis permutatos, vltro ci-
 trò vehere, Regum vtrorumque auctoritate.
 Eius ergo opportunitatis securi, duximus ex-
 spectandum potiùs in paucos dies, vt rectum te-
 neremus cursum, quàm cum alijs, qui celerius in
 longinquiores terras soluebant, nauigare: sed
 aduersa tempestates, aliâq; incommoda, iter no-
 strum

strum in decimum sequentis anni diem distulerunt. Non leuiter ea mora nos afflixit per Natalis Dominici Fēstos, sine Sacris inter hæreticos acta. Quamquam illius necessitatis duriem largiter recreauit ille, qui nullius Sacramenti affixus carimonijs, consolationum aduersarumque rerum vberem nobis materiam suggestit. Ingentis quippe instar miraculi fuisset, liberum ex Angliâ euadere, neque saltem in custodiam rapi. Nos pro Italis, non item pro Religiosis habiti, securè utebamur hospitio mulieris, cui mercator Germanus soluebat à nobis; illâ utique spe, ut eum inuarem in mariti illius procurandâ libertate, cuius illa loco domi suæ Signiferum Hispanum obsidem habebat, qui permutationis secum faciundæ causâ, litteras scripserat ad amicos. Angli administri, qui eas litteras penes nos esse sciebant, suspicati, alias praterèa in Lusitaniam à nobis esse perferendas, nocte irruunt in ades; nos rebus nostris spoliant, diligentissimèque perscrutantur: at quod querebant, non deprehenderunt. Eâ ipsâ nocte in carcerè abduxere Socium meum P. Hieronymum de Angelis, opinati Hispanum esse, quod nempe, loquenti mecum, Italica verba quadam excidissent, sed non amplius nocte detentus est. Per dies aliquot libero domûs exitu nobis fuit interdictum, amplius etiam vocati sumus in examen: quo peractò, conscendendi

nobis copia facta est, illuxitque tandem ille optatissimus navigationis dies. Etiam si verò exiguum fuerit nauigium, ac vetustum, parumque à necessarijs rebus pro tanto vectorum numero instructum; DEI tamen benignitas & ventum & mare adeò è sententiã propitium nobis reddidit, vt salui atque incolumes Vlisiponem octidui spatio attigerimus. In quã vrbe, alacriores multò quàm antea, iter summo cum desiderio millies tentare prompti, grauiora operimur incommoda, quàm in hunc diem sumus passi; & mihi quidem, vt veterano, faciliora iam omnia ex difficillimis redacta videbantur, nullòque periculo dura. Equidem confido (quando humana me omnia defectura sint) alas mihi à DEO praesidiarias adhibitum iri, quibus in illius obsequium aduolem, à quo sentio tot retrò annis tam singulari me vocatione inuitari. Atque vt tanto tam illustri opere indignum me censeam, penitusque erubescam, cum inter tot illustres operas meipsum circumspicio, spero tamen, quantumuis frigidus rigidusque sim, tot ignium circumiectu me quoque accensum iri. Quaecumque autem Dominus per me efficere dignabitur, sic in gloriam eius redundabunt, vt argumenta quaedam potentie illius.

Huc vsque litteræ, quas Præposito Generali scripsit, quarum verba quisquis expendit, intelliget, concludi ea potuisse epilogo eorum

rum laborum, quos Paulus, de se ipso loquēs, secundâ ad Corinthios Epistolâ, ita summam numeravit: *In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore & ærumnâ, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, in moribus frequenter*: videtur namque DEVS tam diuturnis annorum duorum experimentis periclitari voluisse hunc seruum suum, tamquam tirocinio quodam (vt ipse litteris suis appellat) Iaponis, illiusque gratiæ, quâ DEVS, postquam eum se dignum reperit, eius animum erat cumulaturus.

CAPVT X.

Noua in Indiam nauigatio, & in Iaponem aduentus.

QVAM citò exscenderat, in Professorum se domum, quæ Vlissipone est, contulit; in quâ, cum primùm peteret Indias, exiguo tempore manserat. Iam verò intonso capillo, barbaque promissâ, & alieno ac vili vestitu, nauæ quàm Religioso similior, ad eò sui redibat dissimilis, vt initio nõ agnosceretur. Cognitum quis esset, eo maiore gaudio charitateque complexi sunt, quò diutiùs nihil de eo vel rumoris acceperant. Ipse animo gestiens, cum inter Patres illos eâ se vestis humilitate obfo-